

MONOSTICHON

DE PRIMIS HISPANORVM REGIB.

LIB. PRIMVS.

NICOLAO COELIO MARALIO AVCTORE.

Tum eiusdem Auctoris Oratio de Hominis suprema dignitate: atque ad Christum seruatozem nostrum precatio matutina.



CONIMBRIGÆ
M. D. LIII.

MONOGRAPHE

DE LA REINE MARGUERITE DE VALOIS

PAR M. DE LAURENT

PARIS, CHEZ LA CITROUILLE, M. DE LAURENT, 1652

1652



COMMISSAIRE
DE LA REINE

*DIVAE Mariae, DIVI Ioannis III.
Lusitanorum Regis, Sorori Augustissimae,
Nicolaus Celius Maralius.*

S. D.



VINAM potius nostra hæc tam
sacra carmina dicarem Princeps Au-
gustissima nisi tuæ sacratissimæ celsi-
tudini, quæ se in dies in CHRISTI
servuatoris nostri & eius matris vir-
ginis MARIAE laudibus exercet? Est illorum sanè
sublimis materia, profunda, atque planè diuina.
Vbi quantum detrahit ruditas artificis, tantum con-
trà cælestis vrbinitas, nimirum mysteriorum Dei,
maiori vt ita dicam cum fœnore, conciliat. Sit ergo
procul à re tam sacra omnis humana verborum ele-
gantia, secedat longè omnis morasa & nimis compo-
sita eloquentia, simplex cor deus diligit, hoc est, pu-
rum & sincerum vsque intuetur, simileq; ab eo pro-
fectum eloquium probat postulatque. Sit etiam mi-
tis Apollo, mite sit numen Thespiadum, omnia hæc
prophana sunt, ne dicam impia, omnia stulta, mera-
que poëtarum figmenta, & quæ rantum curent Grá-
matici. Nos verò qui veram Dei CHRISTI Philo-
sophiam profiteamur, quacum a tot annis nobis res

est, nullū iam numen scimus, nullum nouimus, nullumque denique imploramus auxilio, præter vnam sacram Mineruam, id est, summam dei patris sapiētiam CHRISTVM, à quo omnia & per quē omnia Diuinus testatur Paulus. Quare quæ, eo adflāte numine, carmina, composuimus, tibi iure optimo Princeps Christianissima consecramus. Hæc tua Augustissima maiestas adipere non grauetur, vt discā posthac nostras tibi vigilias non omnino fore ingratas. Vale. Conimbrigæ. Calend. Septemb. M. D LIII.

Oratio de conditione summaque
naturæ humanæ dignitate,
ad Deum Opt. & Max.



Onipotens verbo mundi qui singula fando
Quū tuus aërias adflabat spiritus undas
Magne Pater Divum nobis in secla creasti,
Aeternus semper finisq; & Originis expers,
Unus tu solusq; deus tria numina in uno

Credere quem fast est, alios nec dicere plureis
Pura fides novit, manibus quos impia quondam
Corda hominum fixit seu marmora ligna cuprumq;
Seu quæcumq; malus suadebat spiritus ille
Efficere in terris stolidis moralibus unquam.
Actu sancte Pater stellantis Rector Olympi
Syderibus templum ornasti lucentibus altum,
Lampade quod lustrat Titan, heinc tempora cursu
Igneus alterno Terris hæc cuncta ministrans:
Quo presente diem, noctemque absente dedisti
Quando alijs lumen spectatum fœnerat Astris.
Tu solus medio libraſti pondere Terras,
Quas etiam propria virtute regisq; foveſq;
Tu mare, tu ventos rapidos in clauſtra coërces,
Tu segetes homini diuerso tempore curas,
Ergo te pontus, tellus, te sydera adorent,
Tartara te metuant, vni cui seruit Olympus,
Cognoscant te summe parens, quæcumq; gubernas.
Solutus homo, queror, hæc inter quæ lumine oberret?

Vix te cognoscens tua vix hac omnia cernens?

Vix sermone suos Terram producere fructus

Vix mare tot pisces, volucres vix aera, clarum

Vix solem, lunam circum se voluere calo

Iussisti, fructu quum terra virefcere cepit,

Aequor quumq; suam numerosam reddere prolem,

Quū vaga currit auis, calum quū voluitur Astris:

Ab mortalis homo compactus puluere rubro,

In quem verteretur iam iam, audax ipse superbit

Nilq; suum curans Auctorem, vilibus inde

Contentus rebus viuit, queis pascitur orcus.

Heū decēptē nimis saltem cognosce quid es?

Inuidiosum animal, quid te sublimius vno?

Seu terras spectas, seu calum ascendis in altum?

Supremam gentem seu contemplaris Olympi?

Hanc poteris poteris si vis equare memento,

Quum super a potius velit hoc prestare voluntas

Prompta tibi, Deus ipse Deus, deus alter in illo

A Eterno consistēte parum, diuinius inde

Nil, scis, posse dari, cunctis diuinius esto,

Quis tam magna potest? aut cui maiora super sunt?

Quae nec homo superare, aut saltem euadere in illa?

Imposuit rebus finem quascumq; creatat

Conditor ille suis, caelestis spiritus unde

Nil audet maius quam quae natura inuabit:

Stat Kronus in calo cui stat sententia recti,

Intellectuq; suo cherubin contentus, amoris

Ignē Saraph, sua non plera confinia tendunt:

Nec tu parue culex aliud, non improba musca
 Esse potes, iactes hac te promiscide quanquam,
 Immortalis homo solus (mirabile dictu)
 Omigena vite adcepit tot semina nascens
 Quot summus Mundi rebus subiecerat Auctor.
 Non natura tibi, facies, non cognita imago,
 Vlla datur, non vinculis teue coercuit ipsa
 O homo, sola potens ac inuidiosa voluntas
 Traditur ecce tibi, quoduis optare, quiesces
 Non hoc, non illo, sed solum forsitan in uno.

Ergo informe animal meliorem hanc elige sedem
 Solus quod poteris fac sis sublimior illis

Quos habet aula Patris nutu qui temperat orbem.

Te veluti plantam potusque cibusque beabunt?

Aut animal tanquam brutescens sensibus ipse?

In viles toties mutabere mille figuras?

Illas quas olim sic Proteus induit? & quas

Pythagoras homines posuit se vertere falsos?

Quas etiam Empedocles antiquo carmine risit?

Has liceat tantum quas Enoch sanctus amabat.

Has tu magne Pater Diuum concede Piorum

Turbe, quos facias verti in tua numina semper. Amē.

Precatio matutina ad Christum
 seruatore nostrum.

L VX aeterna Patris, verbū, mens, gloria Christe,

Saluator vero, verum, de lumine lumen

Qui pius aethrono soluisti tempore Patri

Quidquid debuerat detensa hic crimine primo

Quod commisit Adam, soboles hæc sera nepotū.

Qui caput antiquum truiisti maxime Regum

Serpentis*, triplici formosus in arbore pendens

Vipereis olim verbis ubi prodidit Aeuam.

Qui cæcas hominum mentes in regna vocasti,

Quæ super excelsi flammantia sydera celi

Gentibus ante eum posuit tuus ille Deorum

Christe, Pater, populi offensus ceruice prioris.

Alme Deus, simul & veri genitoris imago

Terrarum arbitrum summus cui tradidit omne,

Qui iam flammiuoma venies in nube coruscans.

Parce precor fonti nostram prius abluere mentem.

Penitet heu miserum tibi non seruisse per annos

Aeternos, falso toties addictus amori

Huc illuc Sathana tam cæco errore trahebar.

Me pater exaudi, placido me respice vultu,

Hoc concede pijs precibus mitissime Christe.

Sim primò purus sceleris, vitæ integer inde

Incedam, sit vox eadem cum pectore semper

Consona, ne credam facilis mendacibus, unde

Confusus post hæc alieno nomine ledar.

Nec crucier tacitis semper clamoribus oro

Nunquam sim tepidus, non aue horrore Gehena

Frigidus obijciam quid sim factururus, amore

Sed potius quidquid nobis lex sancta ministrat

Aggrediar, vetitis sit non audacia rebus,

Vlirane tendam, nec citra deniq̄ sistam.

Nil quod turpe velim, nil sim mihi conscius unquã,

*
Tres ar-
bores cru-
cē domi-
ni cōstru-
xere, cu-
pressus,
pinus at-
q; cedrus.
Quod sa-
tis probat
vera hæc
Græciani
cañtiqui-
tas. ΣΤΑΥ-
ρός τῶν κυ-
ρίου Ἰησοῦ
Χριστοῦ.
καὶ πίτους,
καὶ κείρου,

Quod me tuam, aut pudeat quā obcurrit mentio facti.
 Sic mihi mens pacata simul, pax summa Deorum
 Quam non infestet triplex discordia semper.
 Nec timeam mortem, quoties subcurrit imago.
 Despiciam quæcumque mihi mala gaudia Mundus
 Promittit, voti exiguus, nil qua mea quæram
 Sed tua Christe pater facias exquirere semper.
 Da carnem superem, da semper Demona vincam,
 Nil credam facilis qua dicunt Demones & qua
 Sæpius intendunt homini cognoscere possim.
 Sit mihi recta fides, sit gratia, spes quoque firma,
 Cognoscam te sancte pater, quod sufficit unū,
 Si non ignorem qui sim. Deus optime rerum
 Da tamen hoc aliud mihi iam non excidat unquam
 Qui terras olim me propter missus Olympo
 Venisti, indigna damnatus morte perire,
 In cruce me propter, propter me morte peristi?
 In te crudelis toties tam seua ferendo?
 Quis te Christe reum? quis te damnauit iniquus?
 Sum reus, ipse reus sum, me damnasse nocentem
 Debueras potius, quàm te iustissime Iesu?
 Impius ah decies ter, ter decies perissem,
 Non tu summe pater, tu non dulcissime Iesu?
 Pro me peccatum pro me te sancte dedisti?
 Sed si ne peream, quamuis sim filius iræ
 Ille tuus sanguis voluis seruatus in omnem
 Vsum Christi adum humana per secula vitæ,
 Fac fruatur Angelicis tandem iam sedibus. Amen.

Diuo Ioanni pio, felici,

*Lusitanorum Regi inuictissimo, Africo, Atlático,
Aethiopico, Arabico, Persico, Indico,
Samatrico, Triumphatori
Max.*

Nicolaus Coelius Maralius

S. D.



Vllum fuit tēpus Christianissime Rex, in quo mortales, quos ardor gloriæ in scribendo magnoperè inflammat, nō triste inuidiæ venenū perhorrescerēt. Vnde malè sibi suisque partibus semper timentes, prudenter satis, Reges suosque Principes, quales quales illorū felix ætas pro Fortunæ arbitrio dabat, tãquam in illius venenosos morsus certum præfensq; remedium futuros, omni in tēpore implorasse constat. At ego more infantiū quibus nec adhuc plenus sensus, nec vllum rerū experimentum est, minimè id laboro. Nec enim fas est mihi in re parui momenti, fereque nullius ponderis Augustam tuam celsitudinem, quã maioribus referuo, implorare. Multò minus interesse puto, si hoc quantulūcumque est, tuo tamen numini iam dicatum, Vulcano aliter tradendum, miserè ab inuidētibus discerpilacerarique sinas. Quanquã quod ad illos attinet, satis vsque mihi ad plaudo, imo quasi securus triūpho: Quando tantam illorum rabiem, qua se in horas malè adficiūt, cōsiderās, ex tacito intimoq; dolore intra præcordia ebu

lienti, vindictā sumere sim contentus. Nihil enim Isocra-
 tico illo dicto in hos vnquam verius crediderim τῷ φθόνῳ
 τῶν μόνου πρὸς ἐσθλῶν ἀγαθῶν, ὅτι μέγιστον κακὸν τοῖς ἔχουσιν ἐστίν.

Quapropter tale hominū ingenium multis de causis odio
 prosequēs, has tibi vigilias seu maus adpellare præmitias
 quas iam olim quasi quadā luxuriosa & inculta vbertate
 suppeditauimus, tuo numini cōsecramus: ne tuus iste a-
 gellus (sic enim totus ipse tuus mihi blādiri volo) tibi om-
 nino sterilis imo iā penē ingratus, cui tot à tot annis dede-
 ris, videretur. Alij ergo Sabæis donis tua litent numina,
 dum modo quascūq; præmitias esto pauperes & incultas
 diuis posse placere intelligār, nos inopes ad huc, farre mo-
 laq; ex eo falsa tibi supplicabimus, Alij tuis in Téplis vbi
 agis te digna offerant, tua limina palma, quercu, populo
 simulq; festa lauro, atq; oliua, ordine positis, ornent, nos
 verò omnibus destituti viribus, rustici planē herbis agre-
 stibus, incultisq; floribus tuarum sacrarū ædium vestibula
 velabimus. Alij diuites gēmas, preciosaq; alia tuis triū-
 phis onusti tibi è longinquo reportent, nos tamen omnium
 pauperrimi instar viduæ illius Euágelij minutula æra da-
 bimus: quæ nescio quid maius testante Christo seruatore
 nostro habebūt, si modo ab animo grato proficisci Regū
 optime intelligas. Sunt hæc merā olim infantiam nostrā
 respicientia pauca, quæ de xxv. Hispaniæ Regibus vbi tu
 omnium præstantissimus fortissimusq; Hispanorū regnas,
 rudi atq; tumultuario stylo, eorūq; nomina prius simili
 carmine ludens scripsi. Materies tamē alium maioribus,
 nō diffiteor, præditū viribus exposcebat: Tamen quia nō

omnia dederūt Dij, ea qua potuimus dexteritate, bonisñe
an sinistris auibus, alijs penes quos hac de re iudicādi arbi
trium est, explorandū relinquimus, quod nuper iusseras
exegimus. Inter eos tamen quos & amicitia & cōsaugui
nitate coniuntissimos habeo, qui tua quotidie limina fre
quentant, quorūq; gratia multū apud te pollet, vnus fuit
cui aliās debeo & pio amore amplector, qui crederet hāc
materiā minimè nostrā æstimationē decere, quo minus
in vulgus ederetur. Cæterum quia priscorū hominum iā
olim consuetudo ita inualuit, vt Regum historiæ anna
lesque quouisq; Reip. referente Megasthene Persio,
nō nisi Sacerdotibus magnæ fidei ac auctoritatis scribē
dæ traderentur, ad aliā potius partē noster declinauit ani
mus. Præsertim quū Isidorus eximia Sanctitatis vir, mi
ræq; Theologiæ sui tēporis princeps (vt Toletanū etiam
Alphonsum Ach. Ep̄m, aliumq; Alphonsum Gerundē
sem Episcopum taceā) hanc ipsam materiā attingere ru
di stylo qualē tps illud ferebat, non sit dedignatus. Quā
quam satis erat te nuper inuictissime Princeps pauca ex
his prospicijs oculis inspexisse, meque talia recitantē hu
manissimis benignisq; auribus audisse, iussisseq; vt ōnia
bonis auspicijs persoluerē. Vbi quā magnas inde mihi vi
reis, quibus & me quotidie vincere dederis, nō dico, sit ita
que tuū numen prospiciū, faueatq; (vt solet) tua nobis au
gusta celsitudo, quā reliquū est, diu in terris incolumē ser
uet, Christum omnipotentem summam Dei patris sa
pientiā, quā non semel indies facimus, precemur. Vale.
Conimbrigæ Calend. Septemb. M. D. LIIII.

MONOSTICHON REG. HISP.
MONOSTICHON DE ORDINE

XXV. REGVM Q VOS OLIM POST
TERRARVM INVNDATIONEM
HISPANIA HABVIT.
LIB. PRIMVS.

NICOLAO COELIO MARALIO AVCTORE.



VOS habuit proceres felix Hispania, postquam
Diluuiio ex illo incæpit gens aurea Mundo
Hesperias regum Rex ô qui flectis habenas.

Adcipe, quos numeres tibi pauca monasticha si-

PRimus adest Iobel, quondã dignissima proles (gnât.

Hic fuit Iapeto: quem post regnabit Iberus,

Qui dedit & nomen fluuiio: iam tertius heret

His Iubalda: Brigus sequitur quos proximus heros.

Tu Tage quintus eris, eterno nomine quuius

Aurifer hic amnis gaudet, mox ordine Betus

Subsequitur, primas debes cui Berica musas.

Hinc post Geriona Aphrorum de gente notauit.

Tres deinde imperio iugit concordia Fratres:

His tamen obcisis (ut fertur) ab Hercule: nonus

Hispal subcaesit: decimus cui Hispania nomen

Debit Hispan adest: regnat Tyrinthius inde.

Hesperus Hesperiam donauit nomine solus:

Quem frater regno pepulit Maurusius Atlas

At las substituit natum, quem credimus Orum.

Quo tamen extincto regni subseffor & haeres

Fit Sicanus: Siceleus hinc regnat, tempore quuius

COMMENT. IN MONON.

Theſſaliciſ ſubito tempeſtas ingruit Oriſ.

*Imperat & Luſus ſoboles pulcherrima Bacchi,
Principium Lyſia dedit, heres Ordine venit
Siculus, è Libya poſt quem poſſeſſor Iberi
Sceptri Teſta fuit: Romus felicibus addit.
Auſpicijſ regnum, Palatidus filius atque.*

*Hiſ Cacus ſubceſſit, Erythraeus deinde: ſequutus
Gargoris hoſ: tandem poſtremus regnat Habides.*

IN MONOSTICHA DE ORDINE
XXV. REGVM HISPANIAE, DEQ. NON-
NULLIS EIVS ANTIQVIS REB.
COMMENTARIA.

NICOLAO COELIO MARALIO AVCTORE.

De Iobél ſive Tubal. 1. Hiſpan. Rege.



*ANNO à Diluuiò. CXXXIII. Tubal fi-
lius Iapheth, quem prophani auctores Iapctum di-
ctitarunt, in Hiſpania primus regnavit. Hunc
Moyses lib. Quem de Mundi generatione inſcri-*

BERO-
SVS.

Iosephus.

D. HIE-
RONY-
MV S.

*psit, inter filios Iapheth quintum adnumerat. Berosus item
Chaldaeus, inter suos magna fidei Sacerdos, hoc serè tempore
inter Hiſpanos imperasse adfirmat. Quuius Iosephus his ver-
bis meminit. Condidit autem inquit, Iobel (quem alij Tubal
vocat, Iobelos, qui nostris temporib. Iberes adpellantur, qui &
Hiſpani, à quibus postea Celtiberi nuncupati sunt. D. Hiero-
nymus in Esaiam & Ezechielem, Tubal ſive Thobel aut Ita-
los aut Hiſpanos interpretari non ſemel adfirmat. Regnante
itaque Tubal, eius auum Nòam in Hiſpaniam veniſſe ceſta-
tur*

tur idem Berofus, atque duas hic Civitates suo de nomine alteram Nòelam in Galletia, alteram Nòzgam in Asturijs condidisse. imperavit tamen in Hispania Tubal ann. 157.

DE IBERO. II. HISPAN. REGE.

IBERVS, mortuo patri, iure iam olim hereditario, in regno subceffit. Hic Ibero fluvio nomen dedisse creditur.

Quamvis Alfonsus Episcopus Gerundensis contra Sentiat: adferens nomen huic impositum ab illis Iberis qui à Caspij teste Varranone in Hispaniam migrarunt. Tamen ab hoc fluvio Hispaniam dictam Iberiam Greci præcipuè crediderunt auctores, ut Plinius, Iustinus, & ante hos Ptolemæus, atq; Strabo scribunt. Hoc ipsum, D. Hieronymus in Com. supra Esaiam & Ezech. Sensisse videtur. Flumen ergo Iberus inter quinque totius Hispaniæ amnes celebratissimus adnumeratur. Navigabili, ut verbis Pliniani utar, comercio dives. Ortum habet ad radices Pyrinei montis apud Cantabros teste Solino & Diodoro. Tenerè huc illuc per amphractus decurrit, & nonnunquam contra aliorum Fluminum naturam Hispaniæ, serpit. Solus namque atque unus Iberus ex quinq; potissimis est, qui reliquis in occasum abortu vergentibus, in Austrum delabatur. Tandèq; in Balearicum pelagus erumpit. Cuius caussam Antonius Nebris. ut cumque conatus est reddere. Regnavit autem Iberus ann. 37.

Alfonsus
Episcopus.
Gerund.
M. Varr.

Plinius.
Iustinus.
Ptolemæus.
Strabo.
Hieronymus.

Descriptio
Iberi. fluvij.
Solinus.
Diodorus.

Antonius
Nebr.

DE IVBALDA. III. REG.

Post Iberum eius filius Iubalda in Regni administratione substituitur. Qui Monti Iubaldæ nomen imposuit. Hunc

Alfonſus
Rex.

Mauri poſtea auctore Rege Alſonſo, ex Africa in Hiſpaniam traicentes, corrupto vocabulo, Gibaltar ad hoc uſque tempus uocitarunt. Noſtra tamen tempeſtatis Scriptores aliū eſſe montem ſingunt. Quorum opiniones neque admodum adprobo, neque omnino uitupero. Iubalda itaque Siue Iubala aut Idubeda non enim inter Auctores de nomine ſanus conſtat, imperauit ann. 64.

DE BRIGO IIII. HISP. REG.

Briga,
quid olim
apud Hi-
ſpanos.

BRIGVS, deſuncto patre Iubalda, regnum adminiſtrat. Ab hoc, Briga, quod olim uetuiſſimis Hiſpanis ſonabat urbem, emanare creditur. Ciuitates nāq; permultas apud nos edificari non ſolum Auctores narrant, ſed nonnulla etiam hodie antiquitatis ueſtigia teſtantur. Vnde ab hoc Rege ſortitum nomen Briga ipſi credunt. Ego tamen iam ante Brigum hoc genus uocabuli, Briga, ſeu Brica, in loquendi uſu eſſe apud Hiſpanos putarem. Quemadmodum apud Græcos πόλις apud Germanos Burgū, apud Gallos Dunum. Quoſcit ut frequenter audias Conſtantinopolis, Adrianopolis, Neopolis, Lugdunum Friburgum, & alia id genus. Hæc ex doctiſſimo Stephano de Urbibus. Quare à Briga Brigum dictum coniecto. Ex eo uidelicet quod tot arces ac urbes in hac regione condiderit, honoris & fame in poſterū cauſa, adpellatus Conditor Urbium. Sunt ergo hodie tanta antiquitatis ueſtigia ut aiebam, in Hiſpania, præcipue in noſtra Luſitania, conſtat Conimbriga. Ciuitas inter alias totius Hiſpania in reſideraria florentiſſima, mihi magnis Laudibus, Si poſſem, & locus pateretur, extollenda. Hac noſtra tempeſtate

te alias quod citra adrogantiam aixerim, Athenas esse credimus. Hanc quam vulgus Conimbricam per. e. Scribit atque Sonat, nos Conimbrigam per. G. scribendam docet marmorea antiquitas. Quae non longe hodie à Conimbriga visitur ac ita legitur.

D.

M.

VALERIO.	AVITO
VALERI.	MARINI
FIL. ANN.	XXX.
VALERIA.	FVSCILLA
MATER.	FIL.
CARISSIMO.	ET
PIENTISSIMO.	
ET.	OPSEQ VEN
TISSIMO.	

P.

SCRIBI. IN TITVLO. VER. SVCVLOS. VOLO Q VINQ VE
 DECENTER.
 VALERIVS. AVITVS; HOC. SCRIPSI. CONIMBRIGA NATVS
 MORS. SVBITO. ERIPVIT VIXI. TER. DENOS.
 ANNOS. SINE. CRIMINE VITAE. VIVITE. VIC.
 TVRI. MONEO. MORS. OMNIBVS. INS. TAT.

Erat & Valia urbs Medobriga in Lusitania, quam sunt qui coniecerunt non longe à noua urbe Portoletana abesse: ad Herminum Montem adiacentē, ubi hodie pagus, ab hoc ipso mōte, Armenha dicitur. Apud Ptolem. quoque Mir obrigam leges. Quam credunt aliqui eam esse que Hispanicè Cidarodrigo dicitur. Et hoc non sine alia marmorea antiquitate. Quae sic habet.

TERMINVS. AVGVSTAL.
 INTER BLETIS. ET
 MIROBR, ET SAL.

Hac inscriptio in saxo hodie iuxta oppidū Bletisam que vulgo, Ledesma, nominatur, legitur. Sed an hi recte probēt, qui tale proferunt, ipsi viderint. Alios namque forsā reperias, qui contendant hanc ciuitatem olim adpellatam fuisse Augustobricam. De alia etiam Lacobriga Pompon. meminit. Quae falso in hoc ipso Auctore & in Ptolom. Coimbra, explicatur. Hanc enim Lacobrigam Pomp. in Sacro promontorio quod nūc Lusitanicè dicitur, Cabo de San Vicente, conctituit. Cuius hodie non nisi quasdam veterum edificiorū ruinas prope Lagos Algarbiorū oppidum contēplari licet. Addam & his Cetobrigam, quā noster Andreas Resendius omnium Antiquitatū scientissimus Neocetobrigam, quasi ex veteri nouam Cetobrigam nuper factam, adpellauit. Hae vulgò Cetual nunc dicitur. Quod verò de Catu Tubalis Florianus à Cāpo ac alij Antiquitatum confabulatores fingunt Cetubal dictam, nugae esse testante nostro Resendio semper credidi. Fuerūt & Valie deniq.

ANDR.
 RESEN-
 DIUS:

permultæ Ciuitates huius nominis Briga, quas si placet, in
 Ptolem. alijsq; Auctoꝝ videas. Nos interim ad alia adceda
 mus. Regnauit vero Brigus Ann. 52.

De Tago. V. Hispan. Rege.

TAGVS Brigi filius potitus est rerum in Hispanijs an.
 30. Hic Tago omnium fluminum celebratiss. nomen dedit.
 Tagus de quinq; maximis Hispania. amnibus vnus est.
 Ortum habens in Celtiberia Tarracorensis Regione. Atque
 ante omnia ipsam Celtiberiam, deinde Carpetaniam, mox Lu
 sitaniam secans non longe ab Olsipone in Atlanticum erumpit
 Oceanum. Hic Poetarum Carminibus tam Græcis quam La
 tinis memoratiss. est. Unde arenas aureas in nostrum Ocea
 num traditur voluere. Sed quid mirum si hoc ipsum hodie
 no die experimento constat? quum & inter medias arenas au
 ribracteolas intermicare cernamus. Iure ergo à Græcis χρυσό
 πηξ & nominatur. Quem ob id Plinius auriferis arenis cele
 brari testatur. Pisculentus est admodum ipse T. agus. Neq; quos
 uis nobis abundantissime pisces vulgares, sed qui magno in
 precio haberi solent, suppeditat. Ripas insuper habet mira
 amenitate præditas. Quas modo diuersis arboribus virescere,
 modo vario flosculorum genere ridere experire. In his tur
 mat in auium meriades passim garrientium opera precium est
 non solum videre sed etiam audire. Quæ ubique accolis au
 cupandi obcaſionem præstant. Vrbes præstatiss. Hispanie ad
 luit: Easq; cum penè infinitis oppidis non tantum dicit, verum
 etiam letissimas suis aquis ac arenis recedit. Frequens huius
 nauigatio est: atque iucundissima maiori parte animi nauigā-

Græci.
 Plinius.

*Mercatores. Insti-
tores. Pu-
blicani.*
 tibus, & semper piscatoribus commodissima. Mercatoribus
 Verò Publicanis, instictoribus, utilissimus est Tagus. Qui
 mercium suarū, reddituum, quæstum precium mirummodū
 auget. Cupiditatesq; eorum inexplcibiles ad maiorem sitim
 exitat. Hæc de Tago Rege, eiusq; fluvio breuiter dicta sint.

De Beto. VI. Hispan. Reg.

*Bætis flu-
men des-
criptio.*

T Agi subcessor, & heres Hispanici Imperij, Bætus filius fuit
 Hispaniā. 31. ann. rexisse dicitur. Primus Turdetaniā literis
 instruxit. A quo flumē Bætis dictus est. Hic oriens in saltu Ty
 gēsi in obcasum decurrit. Bæticiā regionē mediā intersecat, no-
 menq; Prouincia imponens. Cordubam & Hispalim florentis-
 simas urbes præterlabitur, & inde in Atlanticum oceanum
 exoneratur. Hodie vulgo Guadalqueuir, Quod lingua Ara-
 bica Sonat magnum flumen, dicitur. Bætica tamen Prouincia
 à Vandalis postea vocata est Vandalatia. Sed hoc iam tem-
 pore corrupto vocabulo, andaluzia, nūcupatur. Hæc ab auctori-
 bus magnopere comēdatur, præcipuē à Strabone: laudaturq; uē
 à Pœtis non raro ut quæ tales ex se semper poetas dederit, vi-
 rosq; alios de re literaria bene meritos.

Strabo.

De Geryone. VII. Hisp. Reg.

Osiris.

H Vc vsque Reges Hispaniæ ex uno atque eodem Sanguine,
 recto ordine processerunt. Ceterum post Bæti mortem
 Geryona ex Africā transfugam, dictum alio nomi-
 ne Deabus, Regnum Hispaniæ vi occupasse ab auctoribus tra-
 ditur. Geryonem Græci propter ingenium auri copiam χρύσεον
 adpellarunt. Sunt qui tradunt huius tempore Osirim, qui &

Dionysius

Dionysius dicitur est, ex Aegypto in ultimam Hesperiam venisse, attritaq; huius Regis tyrannide, qua miserè tunc in Hispania saevibat, regnum diuisisse tribus fratribus, quos Geryō genuerat: prius iterum atque iterum admonitis, ut ab illa paterna saevitia abstinendum curarent. Hunc Osirim idoloriam primum in Hispaniam intromisisse Scriptores tradunt. Regnavit itaque Geryōn ann. 34.

De tribus Fratribus atque simul Hispaniæ
Regibus. VIII.

Tres Geryones & ut fert fama, Tergemini, Hispaniam extincto patre, administrarunt, vera & fraterna concordia. Horum namque fratrum ea pietas eaq; in eorum animis pacata tranquillitas fuit, ut velut unum tantū tribus in corporibus experta sit prisca Hispanorū vetustas. Hoc tamen Hercules (de quo postea dicemus) certamine superasse à non nullis memoratur: Inter Gracos nō defuit unus Arrianus qui sibi persuaderet apud prisca Hispanos nullum unquā extitisse Geryonem. Sed hoc de uno tantum minimè curandum duxi. Cum sit in parenthesi ἡλιθίων εἰς ἡ πόλις [Duravit ergo eorum regnum ann. 42.]

De Hispali. IX. Hisp. Reg.

Atrita trium fratrum potentia, quorum effigies ac facies ita similima erat (si crediur Trogo Pomp.) ut hunc vel illum vix dignosci posset, Hercules in Italiam profisciscens, Hispalem filium, Regem inter Hispanos constituit.

Ab hoc Hispalim conditam credunt Scriptores. Quam postea Hispiliam Peni nominarunt: & à barbaris inuersis literis primis. P. m. B. mutata, Sibia dicta est. Quae hodie Hispanicè Siuilha dicitur. Hispal. imperauit ann. 17.

De Hispan. x. Hispan. Reg.

Berosus.

Hispan siue Hispanus regnum paternum administrandum suo iure suscepit. Huic Hispania nomen suum satis memorabile adceptum refert. De hoc simul & Caco apud Berosum nulla fit mentio. Quod plane aliquos non parum commouit, ut hanc Regum seriem variarent. Hispan vero regnat ann. 32.

De Hercule. ii. Hisp. Reg.

M. Varro.
10.

Quadragesimà treis Hercules aetatem priscam habuisse auctor est. M. Varro. Quod sane scriptoribus de rebus Hispania tractantibus, non parua dubitandi causa fuit. Quisnam, inter hosce Hercules, fuerit, qui Gerionem atrinuerit, atq; post nepotem in Hispania regnauerit. In re ergo usque adeo controuersa dubitare proculdubio tutius erit, quam aliquid inter tot tantosq; auctores diffinire. Sed quoniã hoc vertitur in dubium unusquisq; suo iudicio abundare potest. Magna ergo meratio olim mouebat quur mihi persuaderem, hunc Herculem non Aegyptium fuisse, sed Graecum. Alcumena è Iouis adulterio filium. Nullum iam comprimis Osirim seu Dionysium, quale non nulli fingunt, in Hispaniam traiesisse, pro certo habebam. Vnde neque illud quod aiunt ad probare poteram, huius filium

Hercu

Herculem, quem dicunt Aegyptium, huc in Patris vendi-
 ctu ultionem venisse. Sed esto, hunc magnis stipatum copijs
 in genteis obciduas adcessisse. Quur in eos qui horum senten-
 tia, regnum adceptum huius Herculis parenti Osiri refere-
 bant? Quid mali facere, machinariue iure possent fra-
 tres, in tam aequalem tam iustum suorum Regnorum distri-
 butorem? Adde etiam quod cum hoc Hercule dicunt venis-
 se Zacynthum comitem: à quo Zacynthus dicta est, quae
 postea Saguntus in nostra Hispania nuncupata extitit. Hoc
 fieri non potest: Quum non unus Zacynthus Hercules comes,
 sed huius Zacynthi, indicante Strabone, comites, ex Za-
 cyntho Ionici maris Insula, homines natione Graeci huc adpu-
 lerint. Qui Saguntum urbem quondam nobiliss. edificarunt.
 Comites namque Herculis Aegyptij, nescio quo pacto ita fa-
 cile essent Graeci. Securius igitur, iuxta alios, hunc Hercu-
 lem fuisse Graecum Alcumena è Iouis adulterio progenitum,
 dicamus. Quo cum venientes Zacynthi, Graeci videlicet,
 & Graecum Ducem sequentes, Templum Dianae, quam se-
 cum à patria asportabant, hac in urbe superbissimum ere-
 xerunt. Vnde D. Hieronymus motus, tanta Civitatis
 principium, non Aegyptiorum sed Graecorum fuisse ait. Ad-
 cedit ad hæc, hunc Herculem qui in Hispaniam venit Geryo-
 nem expugnatum, ab antiquissimis auctoribus Tyrrinthium,
 ab illa Graecorum civitate Tyrrinthia Argis vicina, in qua
 nutritus est Hercules, adpellari. Non enim si Aegyptius fo-
 ret, sic lactantius Firm. nominandum censeret, Verum id ge-
 nus, ait, Sacrificij ab Hercule, quum ex Hispania redi-
 ret, dicitur sublatum, ritum tamen permanente & cat. &

Templum
 Dianae.
 D. Hiero-
 nymus.

Lactantius
 Firmia-
 nus.

Ovidius

citans Ovidium in Fastis. Donec in hac venit Tyrrhynchus
arua.

Liuus

Vergilius.

Ergo non de illo Aegypcio loquitur Firmianus. Quod Simi
le ex Luvio planè cognosci potest. Vergilium poetarum principè,
hanc quoque concepiſſe opinionem ſatis conſtat. canit enim:

Cum iam Laurentia victor,

Ger yone extincto Tyrrinchus attingit arua,

Tyrrhenosq; boues in flumine lauit Iberas.

Et alibi.

Tergemine nece Ger yonis expoliſque ſuperbus

Alcides aderat.

Quis ergo unquam Herculem Aegypcium Alcidem adpel-
latum dixit? Quare hanc ſententiam olim ut cumque proba-
bilem ſequebar. Nunc vero non ita ſequor ac amplector, quaſi
aliorum huius oppoſitam vituperem ſeu falſam eſſe credam
Imo per me licebit, lectori Cui magis tribuerit, adherere. Qua
de re iudicium ipſi exquutiendum in medio relinquo. Qui ta-
men hunc vel illum, in tanta rerum obſcuritate pro certo, diffi-
nuerit, delirabit proſecto. Quamquam ſi qui Ger yonem debel-
lauit in Hiſpania, regnavit, ut etiam alij concedunt, Graecum
Thebanum Herculem in ea regnaſſe non dubitem. Hunc enim
Ger yonis caedis auctorem extetiſſe, ex his qua diximus ſatis
manifeſtum eſſe puto. Vnde quum in aliquam partem nobis ſit
deſtinetendum, noſter in hanc potius inclinat animus.

Hic ergo Hercules, quis quis ille fuerit, audita Hiſpanis ne-
potis ſui, morte, quum id temporis in Italia ageret, in Hiſpa-
niam magnis itineribus, ne aliquid noui ſibi præter opinionem
adccideret, contendit. Vbi poſt aliquod tempus conſectus ſenio,

mortuus, sepultusq; est. Scio tamen referente Pomp. Mel. lib. 3. cap. 6. Herculi Aegypcio Templum illustre, Tyrios condidisse. In eoꝝ eius ossa sanctam magis effecisse. Sed minimè his mo-
ueor, etiam si verà esse credam.

De Hespero. XII. Reg.

CV M iam Hercules extremo vite curriculo animã tra-
heret, Hesperum eius Ducem regni subcessorem designaf-
se dicitur. Ab hoc & Hispania & Italia Hesperia dicta
est. Pòeta tamen, differentiã causa, vltimam Hesperiam Hi-
spaniam vocat. Vt Flacus. Quinunc Hesperia victor ab vlti-
ma. Greci vero Auctores ab Hespero Stella Italiam, & Hi-
spaniam nuncupatam Hesperiam crediderunt. Sed eadem ra-
tione & Galiam hoc nomine adpellare debuerant, ut probat
Iginus.

De Atlante. XIII. Hisp. Reg.

TREIS olim fuisse Atlantes, memini aliquando ex serui-
o Gramatico conlegisse. Primum Libycum, qui inter pri-
mos Philosophia caelestis mysteria, teste Laetio, rima-
tus est. Postremum Graecum: interiectum vero Italum, &
Hispania Regem ut scribentium Auctoritas confirmat.
Hinc Berofus Kitim vocat: regnante tamen Hespero eius fra-
tre, cepit Hispania Regnum Atlas adfectare. Nec impio quie-
uit proposito, quousque fratrem pulsum in Italiam fugauit.
Imo eò creuit regnandi cupiditas atque impietas hominis, ut
instructa acie in Italiam aduersus Hesperum, ubi feliciter
agere audierat, contenderit: Timebat namque ne fratris prospe-

Iginus

Iginus

Iginus

Seruius

Gramati-
cus.Diogenes
Laetius

Berofus

ritas aliquid mali sibi in posterum pareret. Interim tamen Sicorum filium in Hispania Regno reliquit.

De Sic Oro. XIII. Hisp. Reg.

REGNAT Sic Orus in Hispania quinque & quadraginta ann. Qui nomen Sicoris fluvio dedit. De quo Lucanus. Hesperios inter Sicoris non ultimus annis. Huius Plinius lib. 3. mentionem fecit. Per Ilerdam decurrit, postea Ibero miscetur. Pars illa vero propinqua huic flumini quondam Sicora dicta est.

De Sicano. XV. Hisp. Reg.

Post Sicorum magno omnium Hispanorū adplausu eius filius Sicanus in Hispania Regno substituitur. Ab hoc Anā flumen, nomen adcepisse, nonnulli adserere ausi sunt. Illi inquam, potissimum qui Regis proprium nomen Anum esse dicunt, sicut Orum, Eleum, &cet. Sic, namque signum his nominibus propositum, inter antiquissimos Reges, addunt auctores, esse prænomen sive Titulum principatus. Sicanus igitur Hispania regimen obtinuit ann. 31. Hunc olim Sicanum in Siciliam ante Troianum bellum manu Iberica omnique cum bellico adparatu, navigasse, Solinus & Capet. referunt. Atq; suo de nomine Regionem illam Sicaniam appellasse dicunt. Vbi memoratissimam urbem Syracusas commites condiderunt. Sicanos contra antiquitus habuisse populos Hispaniam Iberi amnis accolat, Sic dictos à Sicori fluvio, traditur. Quos etiam auctores addunt in Siciliam Insulam classe instructa conuolasse, eamque incolentes, ex suo nomi-

ne Sica

Lucanus.
Plinius.

Solinus.
Mar. Capet.

ne Sicaniam dixisse. Quae opinio non paucos habet scripto-
res. Vnde Seruius etiam Gram. illud Virgilianum ex-
ponens.

Seruius.
Gram.
Virgil.

Tunc manus Ausoniae & Gentes venere Sicanae.

Ait Siciliam dictam fuisse Sicaniam de huius gentis nomi-
ne. Siciliam vero à Siculo eiusdem gentis duce seu Sicleo,
qui Patri in regno subcessit Sicano, Sicanos namque, addit,
Hispania populos à fluuio Sicori, duce Siculo, in Italiam olim
venisse, & eam tenuisse partem, qua postea Roma condita est.
Expulsis Aboriginibus, qui hanc tunc Regionem incole-
bant. Sed mox hos Hispania populos ab hoc loco abcedere co-
actos, ab illis quos paulo ante profligabant, Insulam Italiae in-
uasisse vicinam, eamq; Sicaniam à Genti & Siciliam ab eius
ducis nomine dictam inquit Seruius. Seruiana insuper expo-
sitioni ac sententiae fauet Dionysius Alicarnas. Alij tamen
aliter, ut primo diximus, à Sicano qui cum Hispanorū gen-
te in illam Insulam venit, Sicaniam sic nuncupatam fuisse
perhibent.

Dionysius
Alicar.

De Sic Elco siue Sic Vlo. XVI. Hispan. Rege.

SICILEVS seu Sic Vlus, Sicano eius defuncto patre,
Hispanos. 44. ann. rexit. Huius tempore creditur Thes-
salia illa inundatio aquarum, sub Deucalione & Pyr-
rha fuisse: atque plagas per Moysen in Aegypto Pharaoni
inrogatas plurimi adfirmant.

De Lulo XVII. Hispan. Reg.

Quod Lusitania hic fuerit mihi salte non constat. Qualisqua
 lus tamē ipse olim in Hispania regnarit, triginta annos
 regnasse, atq; nomē ab eo nostra Lusitania adcepisse dici
 tur. Facile credere Liberi Patris fuisse filiū. Si tamē Bacchus,
 Liber Pater Cognominatus, hinc post longa annorū curricula in
 Hispaniā nō venisset. Hoc est regnāte apud priscae Hispanos
 Romo, ut rectē vir doctissimus Ioannes Vascaus in re literaria
 de Iuuentute Lusitaniae bene meritus, quuius summus per tot
 annos moderator fuit, scribit. Nos tamē omni scrupulo amoto
 in re usque aded antiqua, antiquitatum scientissimum nostrū
 Resendium potius sumus sequuti. Qui ita hac de re tradit.
 Lusi regna, Lusitaniam intelligimus. Plinius libr. 3. cap. i. ex
 Varrone. Lusum enim liberi Patris, ac Lysiam cum eo bac-
 chantem, nomen dedisse Lusitaniae. Quorum verborum hic
 est sensus. Lusum liberi Patris filium, non autem socium, ut
 quidam contra loquendi usum interpretantur, unā cu Lysa
 nimirum liberi socio, nomen Lusitania nostra dedisse. Filium
 verò debere intelligi, ostēdunt illa. Deiphobe Glauci Ajax
 Oilei. Et in sacris, Alexander Philippi. Igitur tam à Luso,
 quam à Lysa, regio nomē adcepit. Et à Luso quidem, Lu-
 sitania dicta est. A Lysa verò Lysitania Vtroque enim mo-
 do Adpellatur, teste Stephano. Et. ff. de Censib. l. in Lysita-
 dia. Pacenses & Emeritenses, iuris Italici sunt. Ebor a marmo-
 L. in Lysi reus lapis est elegantissima litera, in quo sic legimus.

Ioann. V a
seus.

Andreas
Resendius
Plinius.

Steph. ff.
de censib.
l. in Lysi
reus
pania.

LABERIAE. L. F. GALLAE.
 FLAMINICAE. MVNIC. EBORENSIS.
 FLAMINICAE PROVINCIAE
 LYSITANIAE.

Hactenus Resendius.

De Sic Vlo alio. XVIII. Hispan. Règè.

SICVLV Sregnum paternum administrandum suscepit. Idq̄ obtinuit ann. ferè. 60. Non desunt tamen qui hunc Atlantis fuisse filium sibi persuadeant. Quod sane non admodum curamus.

De Testa. XIX. Hispan. Reg,

TESTA Hispaniam post obitum SicVli occupavit. Urbem ad maris litora edificasse, memoratur: à qua populos ciuitati propinquos, Conestanos Ptolemæus adpellat. Hanc, ferunt, Teucriam postea à Teucro Talamonio, deinde nouam Cartaginem, fuisse nuncupatam. Obtinuit itaq̄ regnum Testa ann. 74.

Ptolemæus.

De Romo. XX. Hispan. Reg

MORTVO Testa inter Hispanos Romum regnasse dicitur ann. 33. Cui primordia Valentini Urbis sua adcepta ferunt. Quam ab eo Romam dictam, Romani post multa Annorum curricula Valentiam, eius quasi glorie inuidentes, nominari voluerunt. Aliam namque Romam, præter Quirini urbem, alicubi gentium vel hoc tantum nomine florere adpellarique dedignabantur. Hæc ex multorum mente hucusque de Valentia diximus, Alijs tamen hæc potissimum nostro Resendio, magis acquiesco. Quuius hæc sunt verba. Viriatus Lusitanus ille, Hispania Romulus ut inquit Florus, quem post varias contra Romanos

Valentia
Olim Roma.

Resendius
Florus.

c victorias,

Victorias, per fraudem & insidias domesticas, agente Scru-
 lio, interemptus esset. milites eius quæ se tutari poterant, di-
 persi vagabantur. Interea quum in Hispaniam venisset
 Brutus, & de republica iudicaret pacatas Viriati copijs condi-
 tiones offerre, agrum & sedes ad habitandum, positis armis,
 illis assignavit. Condiderunt igitur oppidum, quod Va-
 lentiam, credo à fortitudine militari, adpellarunt. Hæc
 noster Resendus. Quuius etiam rei meminit Sabelicus lib.
 9. Quintæ Aeneados.

SABELI
 CVS.

De Palatoo. XXI. Reg.

REGNAT post hæc Palatous Palentia conditor.
 Qui iure suo in summa tranquillitate imperium guber-
 nans, ad arma capessenda cogitur, res novas moliente Ca-
 co Celtibero. A quo tandem Palatous superatus est. Non de-
 sunt tamen qui tanti sceleris penas Cacum dedisse in monte
 qui ab illo Mons Caci dicitur, hodie Moncaio, adserant. Alij
 aliter, Cacum videlicet parta victoria, per aliquod tempus
 in hoc monte regnasse. Eiq; quasi pro monumento in Posteris no-
 men suum reliquisse. Regnavit ergo Palatous ann. 70.

De Caco. XXII. Hispan. Reg.

CACVS Celtiber, à quo hodie (ut creditur) Moncaio
 dicitur, siue quod in eo interfectus fuerit, siue ut alij con-
 tra, in eod ipso regnarit, inter hos Hispanorum Duces
 (quos sic Trogus Pomp. vocat) ab aliquibus adnumeratur.
 Potiusq; est rerum ann. 36. Oscam condidit auctore Geruz-
 denli Episcopo. Quam postea Sertorius Dux Romanus li-

Trogus
 Pomp.
 Osa olim
 lucris nob.

terarum Gymnasio nobilitauit, ut Plutarchus scribit. In quo nobiles pueros, traditis praeceptoribus, tam Graecis quam Latinis, in re literaria instituendos curauit. Dicitur est Cacus Vulcani filius: qui primus in Hispania ferrum & arma bellica, adinuenit. Quae Vulcano, id est, igni consciuntur eudunturque. Vnde, si Gerundensis credimus, narratur, hunc omnium primum in Hispania ignem reperisse, sulfureo puluere, ut ijs verbis ipse testatur Episcopus, compositum: Quo lapides in altum iactabat, licet non ea arce qua nos in Bombardis, ait, hodie die utimur. Quod verò subdit in Italiam fugatum ab Hercule Cacus, atque ab eodem in spelunca iuxta Tyberina ostia, quuius rei auctor quoque est Liuius, interfectum fuisse non facile constat. Imo sibi contradicit qui Herculem hunc credens Graecum, quo tempore regnarit non aduerterit. Alij ergo melius sentiunt scribuntque, qui non ab Hercule hunc detrusum aiunt, sed à Palatoo, qui pro Regni sui iure contra Cacum dimicauit. A quo paulò ante Palatous regio honore expoliatus fuerat. Et tandem nimiae cupiditatis, qua alienum regnum Cacus adfectabat, merito penas eo in monte dedit.

litat.
Plutarch.
Ignis sulfureus et olim apud Hispanos in usu fuisse.

De Erythreo XX.III. Hisp. Reg.

PALATOO subcessit Erythreus, qui priscos Hispanos 68. annos dicitur gubernasse. Ab hoc Erythreiam Insulam contra Lusitaniam sitam, seu ut alij volunt è regione Gadium nuncupatam plurimi adfirmant. Quamuis Plinius Tyrios incolas ab Erythreo mari nauigantes, illam ita nominasse credat.

De Gargore. XXIII. Hisp. Reg.

GARGORIS regnavit annos septuaginta septem.

De Habide. XXV. Hisp. Reg.

Iustinus.

IUSTINVS inter classici auctores magnæ fidei de Gargore eiusq̃ nepote Habide hac ad longum refert. Gargoris, inquit, mellis conligendi usum primus omnium adinuenit. Huic quum ex filie stupro nepos prouenisset, pudore flagitijs, varijs generibus extingui paruulum voluit. Sed per omnes casus fortuna quada[m] seruatus, ad postremum ad regnum tot periculorū miseratione peruenit. Primum omnium quum eū exponi iussisset, & post dies ad corpus expositi requirendum misisset, inuentus est vario ferarum lacte nutritus. Deinde relatum domum tramite angusto, per quem armenta cōmeare consueverant, proijci iubet. Crudelis prorsus qui proculcari nepotem, quam simplici morte interfici maluit. Ibi quoque quum inuiolatus esset, neque alimentis egeret, canibus primo ieiunis, & multorum dierum abstinentia cruciatis, mox etiam subus obijci iubet. Itaq̃ quum non solum non nocerent, verum etiam quarundam uberibus aleretur, ad ultimum in Oceanum abijci iussit. Tū planè manifestò quodā numine inter furentes æstus, ac reciprocantes undas velut naue, non flustu veheretur leni salo in litore exponitur. Neq̃ multo post, cerua affuit, quæ uber a paruulo offerret. Inde denique conuersatione nutriticis eximia pueri pernicitas fuit. Interq̃ ceruorum greges diu Montes, saltusq̃ haud inferior velocitate peragravit. Ad postremum laqueo captus Regi datus dono est. Tunc ad linea

Naturæ
in l. 1.

mento

mentorum similitudinem, & ex notis corporis, quæ inusta par-
 uulo fuerant nepos agnitus, admiratione deinde tot casuum
 periculorumque, ab eodem subcessor Regni destinatur. No-
 men illi impositum Habidis: Qui ut regnum adcepit, tanta
 magnitudinis fuit, ut non frustra deorum maiestate pericu-
 lus erectus uideretur. Quippe Barbarum populum legibus iun-
 xit: Boves primò aratro domari, frumentaq; sulco serere do-
 cuit. Et ex Egresti cibo melioribus nesci, odio eorum quæ ipse
 passus fuërat, homines coëgit. Huius casus fabulosi uideretur,
 nisi & Romanorum conditores Lupa nutriti, & Cyrus
 Rex Persarum cane alitus proderetur. Ab hoc & ministeria
 seruilia populo interdicta, & Plebs in septem Urbes diuisa.

Quis pri-
 mus inter
 Hispanos
 frumentū
 seminarit.

Conditores
 Romæ.

Cyrus
 Rex Per-
 sarum.

Mortuo Habide Regnum per multa secula à sub-
 cessoribus eius retentum est. Hæc Iustinus. Cete-
 rum qui tanti Regis subcessores fuerint

Minimè inter probatos auctores con-

stat. Atque idcirco de an-

tiquissimis Hispania

Regibus ha-

tenus.



FINIS.

CARMEN PANEGY.

DE LAVDIBVS DIVI EMMANVE-
lis atque filij Diui Ioannis. III. Lu-
sitanorum Regum, Carmen Pa-
negyricum. Nicolai Cœli
Maralij.

L Vsiadum Rex magne decus, quo sacula maius
Nil possunt Terris amplius usque dare,
Religio, pietas, iustum spes, ignea virtus,
Pura fides, hac, te Principe, cuncta nitent.
His tuus obciduus quum iam splenderet orbis,
Hac quem pace regis, quem regis arte Pater
Prouidus heinc pro se caput tua numina supplex
Et pro te magnum sollicitare Iouem.
Esse tibi quacumq; alijs vix Regibus insunt,
Credere tam fas est, quam dubitare nephas:
Exsuperas proanos, clarissima facta tuorum
Tu simul hac Princeps solus, & vnus habes.
Concessit pius hac Stellantis Rector Olympi.
Quæ tua Rex pietas, fecit & vna fides.
Ordine diuino, cælo demissus ab alto
Ille tuus genitor maximus Emmanuel.
Concepit diuina animo Rex inclytus, & se
Adcinxit casta religione Dei,
Ignotum tentauit iter, sed numine vero
Adflatus, fasces extulit inde suos:
His secura ratis verrit Neptunia regnâ
Hisq; tument vento Carbassa flante alio,

Huc illuc audax currit per litora miles

Qua diuersa premens obijcis Oceanus.

Pharrhasios minimè curat iam nauita Triones

Alteracui dubium flamma ministrat opus.

Iam cælum solemq; alium Palinurus eundo

Cernit, miratur nescius Astra alia,

Miraturq; Vrbes alias, populosq; remotos.

Et quecumq; sibi Ganges & Indus habent.

Lusitadum externis acies exponitur oris,

Armorum strepitus Martis ubiq; sonans,

Signa Dei extollunt, perit heinc Mahometicus error,

Illinc stelligeri qui colit Astra Poli.

Hæc tuus ille parens: etiam quæ maxime Regum

Auxisti toties tam pius atque potens,

Nam tibi pro meris superauit portio maior

Quam simul æterni clauderet Arca Iouis:

Æthiopas ultra penetrat tua fama, nec vnus

Iam tibi Rex Regum sufficit Oceanus,

Nil dare non visum, velit esto, Tridentifer audet,

Quod tibi subiectum sacra Carina ferat.

Iam Cælos alios, alia hæc & Sydera sperat,

Mundos, Oceanos, sedula vult alios.

Nam quotus est hodie Mundus sibi redditus, ipsum

Deuictum Titulis addidit esse tuis,

Utendit fines (ut Regum maximus esses)

Et iunxit fines sinibus ipsa Potens.

Nil hoc contenta est, in Cælum nauigat altum

& tuus in Cælum nauita tendit iter.

Nam tua Rex Lysiæ curat nil oeci puppis,
 Nec magni pendit crede Orientis opes
 Quæq; tuis postquam sceptris subiecit Eoas
 Terras, ut Mundolex tua ubique foret
 Premia pro tanto nec respondere labore
 Mundi constaret terq; quaterq; sibi
 Concepit Cælum supremi cæta Tonantis,
 Quò lucente potens itq; reditq; via.
 Tempestas maior surgit dum hæc tendit ad Astra,
 Inquam sufficiunt numina sola tua.
 Non tam miramur si Regum maximus ergo es
 Quàm Cælum ratibus posse patere tuis,
 Perge precor Princeps, sint hæc commercia Dius
 Tecum, quos inter, credimus, unus eris: